

DE  
PLANTIS  
A DIVIS SAN-  
CTIS VE NOMEN  
HABENTIBVS.

C A P V T

Ex magno volumine de Consensu &  
diffensu Authorum circa stir-  
pes, desumptum.

JO H A N N . B A V H I N I I L L V S T R .  
Princip. D. FRIDERICI Comitis Vuir-  
tembergici, Montisbelgard. &c.  
Medici.

A D D I T A E S V N T

CONRADI GESNERI MEDICI  
Clariss. Epistolæ hactenus  
non editæ,

A<sup>t</sup>

CASPARO BAVHINO MEDICO  
& Professore Basiliensi  
ordinario.

—  
—  
—

B A S I L E A E

Apud CONRAD. VVALDKIRCH.

c i o i o x c i .

+

CONRADI  
GESNERI  
PHILOSOPHI  
ET MEDICI  
C. L.  
EPISTOLAE  
A.

CASPARO BAVHINO *Anatomico & Botanico Profes-*  
*sore ordinario*

NVN C PRIM V M  
editæ.

AD  
CLARISSIMVM ET EXCELLEN-  
tiſſ. Asclepiadam.

IOACHIM V M CAME-  
rarium filium,  
ILLVSTRIS. Reipub. Norinberg. Phi-  
losophum, & Medicum præstan-  
tissimum.

*Speliensum perfice. Tiguri ultimo Septembr. 1562.*

T. CONR. GESNERVS.

Pro CONR. GESNERO BADAЕ,  
BASILEAE,  
S.

**D**O MIN V M D. Parentem tuum, Cælium, Castalionem, Zuingerum, Huberum Medicos, &c. salutabis ex me officiosè. Herbas siccas tuas in Gallia collectas mittes cum primùm perfeceris catalogum: remittam breui simul utraque. Cupio autem te citò perficere. Aedi forsitan posset sum Epistolis Guilandini, &c. si D. Episcopius, aut alius quispiam imprimendas susciperet. Si liber fortè nimis parvus futurus esset, adderem & ego de meis aliiquid. D. Episcopium saluta: & indica de Euporistis Dioscoridis apud me visis, de quibus nuper ad eum scripsi. Si ipsi displayerent, poterit cum alio quopiam agere de imprimendis illis, vt D. Oporino, vel alio, qui bonum Correctorem haberet, & Graecum etiam exemplar reciperet. Bada saluta Chirurgum & Tonforem M. Bartolomeum Wanget, cum Guilielmo filio Pharmacopola: cui dices nosrum Pharmacoplam Clauferū se excusare, quid non posset eum recipere hoc tempore: nihil enim ferè agendum esse in officina. Is poterit tecum in montem Läger ascendere, &c.

Excellentι

Excellentι doctrina & virtute D. IOHAN-  
NI BAVHINO F. amico suo cha-  
rissimo: BASILEAE,

S.

**A**CC E P I scriptū à te pro bona illa muliercu la consilium, quod ei fideliter communicabo: & si admittere volet, per Chirurgum Muraltum pili ciliorum superflui ei inurantur. Circa Lexici Medici ordinem probè quidem consulit D. Constantinus, estq; is vt eruditior, ita doctis omnibus gratior futurus: indoctioribus verò seruier Indices. Sed hac de re deliberabis amplius. Meo consilio in Hippocratis operatalem indicem aphoristicum Ioh. Culmannus Medicus confecerat, sed Frobenijs difficultuit, & totum in unum Alphabetum redigi voluerunt. plerig; enim Typographi populo, & indoctioribus, quo rum maior est numerus, propter suum lucrum, se accommodant. Catalogum stirpium Monspeliensium perfice, & mitte, aut excudendum apud nos cura. Litera tue Octobris 20. scripta, hodie, qui 6. est Novembris, mihi redditā sunt. Epidemias ille capitīs dolor omnes ferè regiones circunquasq; inuasit, ita vt Fabritius scribat, ne altissimos quidem in Rhaetijs Alpium recessus immunes fuisse. Mitto tibi que Doctor Fuchsius tradidit: is se nuper etiam ad te literas dedisse ait. Video ne vix ante tempus vernum expediri posse, vt stirpium historię scriben da ad editionem incumbam. Interea tamen

que reliqua sunt, colligam, digeram, & occupatio-  
nes ceteras dissoluam spherō. Vale. Saluta D. paren-  
tem. Tiguri 15 62. Nouembris.

T. CONR. GESNERVS.

Doctissimo viro D. IOHANNI BAVHINO  
Docteri Medico excellenti, amico  
.candidiss.suo: PADVAE,  
S.

**N**UDIVS T E R T I V S tuus accepi, charis-  
fime D. Bauhine, ultimā Basileā datas. In I-  
taliam te profectum gaudeo: non dubito enim quin  
multa sis visurus & cogniturus praeclara. Deus Opt.  
Max. te nobis in colummā brevi restituat. Utinam  
in redditu cōmodo modo fiat, vt hac trans eas. Doctissi-  
mo D. Guilandino te commendo. Bononiam si ve-  
neris, quō te venire velim, vel propter D. Vlyssēm Al-  
drondum (quo nemo diligentior, nemo copiosior  
in totius naturae rerum variarum possessione viuit)  
ipsum meo nomine per officiō salutabis. Scio ipsū  
& propter te (que tua est virtus, & doctrina) &  
meam in gratiam libenter suos thesauros, quibus  
vel Cræso ditior est, tibi explicaturum, cum alias,  
tum ut tuum quoque iudicium de rebus diuersis co-  
gnoscat, nuper ad eum literas dedi, nunc non vaca-  
bat. tertio iam scripti, ex quo ne vnas quidem ab eo  
accepi: sed non idcirco desistam. Hac breuissime ad  
te scribere volui, literis Curiam ad D. Fabricium  
missis:

missis: is enim frequentiores Patauium nuncios, q̄  
nos hic reperire potest. Tu si quid rescripturus es,  
quod cupio, nec tabellarios commodiores inuenieris,  
Veronam ad D. Dominicum Montisaurum, Medi-  
cum excellentissimum mittito: aut potius Padua  
tradito D. Iohanni Baptiste Mundella, medicina stu-  
dioso. D. D. Aloisii Mundella excellentissimi Medi-  
ci Brixiensis nepoti, vt is ad patruum mittat, à quo  
facile accipiam. Eodem meo nomine officiosè salu-  
tato: dices me cupere, vt tandem aliquando me com-  
potem faciat rerum illarum, de quibus aliquoties  
spem mibi fecit, tum ipse, tum patruus, &c. In Gal-  
lia perturbata magis magis q̄ sunt omnia. Guisiani  
Rhotomagum occuparunt, sed victoria tam cruenta  
(in qua & Rex Nauarræ & alij Principes deside-  
rati sunt) vt nō occupasse præstaret. Herba illa, quā  
siccam abs te accepi (Marsilia allatam aiebas) flo-  
ribus Libanotidis, candidis, ni fallor (de colore enim  
dubito in sicca, sicuti de odore etiam nunquam ha-  
beat recens) hodie mihi depicta & considerata di-  
lignantius, Chamepitij cognata foliorum & florum  
forma, sapore q̄, adeò mihi videtur, vt Chamepityn  
lignosam appellari nō dubitem. Herba Mora, cutus  
Matthiolus meminit, specimen mihi acquire à D.  
Guilandino, aut D. Aldronando, considerari à nobis  
velim, an Alypon esse possit. A discessu tuo multa pul-  
chra & rara naclis sum ex Polonia & aliunde, &  
medendo quedam rara fœliciter expertus, vt ace-

tum destillatum, cum paucis Ellebori albi radicibus, &c. Cura ut videoas diligenter non publicum modò hortum Patauij, sed etiam ciuium nobiliores, præsertim Domini Cortusii, cui me plurimum commendabis. & Mag. D. Laurentium Prinli, apud quem agit doctissimus iuuenis Germanus Dominus Petrus Brogelius, cui hercè scripsisse, si vel paululum otij fuisset: plurimum illi debeo, & cupio per occasionem esse gratus. Et huic igitur & Domini Camerarij filio, quem breui hanc transfliturum magno cum desiderio expecto, mille salutes ex me dicito. In Catalogo Prinlani horti nomina quedam incognita mihi reperio, hæc Beccara (si rectè lego) & Quercella: de his inquire, & insuper quale sit Verbascum di Rosa cognominatum, Santolina herba, Phuco, & Chamæleon vterque, Aspalathus: harum quæso & aliarum rarerū specimina quedam, & semina nobis colligas. Utinam Catalogum conficias rariorum stirpium illarum, quas ante hanc non visas, nec descriptas tibi in Italia inuenieris, vt addas Catalogo tuo Gallicarum stirpium. Sic enim plausibilior exibit liber. Sentio me tibi obstrictum pro Catalogo Gallico, & amplius debebo, si hunc quoque addideris, quo ad eius horis successuus licet.

Vale etiam felicissimè. Tiguri 1562.

Anno Decembbris die  
quinto.

T. CONR. GESNERVS.  
Clarif.

rent plantis, Sculptori nihil exhibere potest. Icones quadrupedum, animalium & piscium uno fascie ligatas Froeschoueri famulo tradidi, ut proxima occasione, cum scilicet dolium aliquod ad Petru Mechanicensem Froeschouerus mittat, ad vos perferatur: tu moram feres, & munusculum boni consules. Vale. Tiguri 9. Augusti, 1563.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo viro D. IOHAN. BAVHINO  
F. Doctori Medico excellenti, amico  
bene merenti, & chariss. suo:

BASILEAE,  
S.

**C**V M ante paucos dies ad te scripsisse, recepi postea cistam cum herbis & Catalogo: pro quo beneficio in presentia gratias habeo, agoque maximas, donec re ipsa aliquando gratum me declarem. Ex Typographis, qui hic sunt, neutri adhuc ostendi. Froeschouerus non faciliter suscipit paruos libros cudentos, patruclis meus forte suscipiet, praesertim post nundinas autunnales Francordia agitandas: si tu concederes, (quod ut facias cupio, & consulo) & qua conditione maturè significares: oportet enim ante discessum ad nundinas cum eo pacisci. Manum tuam non vbiique assiquerentur Typographorum compositores, quos vocant, ut timeo: & oporteret prius transcripti, transcriptum conferre. Quod si maiorem commo-

commoditatè apud vos eius excludendi, praesertim in presentia tua datam iri speras, remittam ad te, vt primùm volueris: si minus, retinebo, donec repetas. Quod illū in meū nomen inscribis, pro eo quoque multum me tuo amori debere fateor, & data occasione memorē me futurum polliceor. Pecuniam quā mutuò dederā, dono: tu in presentia tantillū boni consules ap tuō candore. Occupatisimus nūc sum circa Pictore & Sculptore, & alijs quibusdam. Nunc etiā catharrus cum tumore utriusque maxilla & he micrania quadam me exercet, nouis mihi hospes, quae cogitando sine instante me admonet. Interea laborabo dum viua, et te amabo. Pro Tragorigano gratias habeo, quod tamē faelicius pictor meus mihi expressit, partim ad siccum à Cortusio missum, partim ad virens in horto meo anno superiore mihi natum, quod tamen ad florem non peruenit. Cucurbita illa (cuius etiam Icone uti non possum, ut potè imperfecta) nescio an sit cuius fructum Hemisphericum ferè superiore anno ad me misisti. Sumptum in Pictorem remittam, si rectè admonueris an utrāq; pictura seorsim, sicut adscribitur, quatuor plapparidis constet. Posthac ut sumptui parcamus utrāq;, qui in tanto stirpium numero nimium excresceret, nihil pingendū mihi curabis, nisi admonueris prius an habeam: neque enim mearum omnium meminisse potes, & multa subinde alia pingenda curio, nisi omnino rarissima aliqua tibi occurrat, quam

alias iterum inueniri posse vix spheris. Scribo etiam ad D. Cælum, ut literis eius, quibus Basiliensem quandam Studiosum mihi commendauit, respondeam: & peto ut suo tempore fructum integrum matrum huius Cucurbitæ ad me mittat, vt & semina habeam, & fructum saltem, quod sat fuerit, accuratius depingam. Hoc tempore non possum occupare Pictorem in herbis siccis: vix enim recentes & virentes nunc depingere omnes potest: siccas in hyemem differo, cum virentium nulla erit occasio, & interim etiam Sculprori quod agat, suppeditandum. Itaque si tuas retineam diutius, non miraberis, pro ijs ne quidem sis sollicitus, optima fide & diligentia quam integerrimi tibi asseruabuntur. Ponticum Absinthium non puto id esse, quod apud me vidisti è Vallesia (vbi non in Alpibus, quod sciam, sed in vallibus & collibus, vbi frequentissimum ego reperi, nascitur) missum, neque id Alpinum cognominavi tibi, sed Vallesianum: alibi enim hactenus non vidi, minor ei quam ceteris astricchio. Ego aliud Alpinum habeo, ventriculo gratius & astringentius, minutum, & nostro coniuni Absinthio cognatus, quod omnino Ponticum puto, id nisi tibi ostendi, mittam alias. Vale, cum D. parente & amicis. Tiguri Kal. Augusti.

1563.

T. T. CONR. GESNERVS.

Præstanti

tiones suas descripsisse. Hæc si non reperiuntur, cupio te curare per D. Gryphium, aut alium, ut accersantur: nam ex Italia iam sèpè frustrà petij, à vobis facile Genevam mitti possent ad Iohan. Frisium iuniorum, qui apud D. Cheuallerium Professorem agit. Vale. Tiguri 1563. Octobr. die 28.

T. CONR. GESNERVS.

**S**i D. Vallerandus noster Lugduni est, bene est, scribo ad eum: si minus, permitto ut meas ad ipsum literas aperias, & metallicarara, quæ ad ipsum mitto, inspicias, & ex doctis etiam Medicis D. Dalechampio & Milleto præsertim ea ostendas, & iudicias audias: sed ita, ut omnia rursus integra concludas, & tuto cito quod si fieri potest, ad Vallerandum mittas. Antonium Gesnerum mercatorem cognatum meum habeas tibi commendatum, quofo. Emet simplicia quedam Lugduni, in quibus si tu & Dominus Vallerandus ei adfueritis, ut bono & commodo pretio emat, rem mihi gratissimam feceritis. Qui libri noui istic evadantur, fac sciam. Mitto tibi icones aliquas stirpium nostrarum, ut ostendas amicis, præcipue D. Dalechampio, & tuam quoque sententiam dicas, ubi contuleris cum aliorū hactenus editis picturis. Si D. Dalechampius apud vos est, & expectat ut ad Epistolas aliquot postremas suas respondeam, faciam lubens: nunc partim quia occupatus sum, partim quia de ipsis in me animo, mutata-

to fortè, si vltimas meas recepit, certior fieri cupio. Quod si is vel abest Lugduno, vel abest quidem sed à me (quod Deus auertat) alienatus, prospicias mihi de alio quopiam Medico erudiro Lugduni, aut in vicinia, ad quem scribam interdum, & aliqua petam, mittamq; vicissim. In Solerij Annotationibus in Aëtium legi, Nasfury genus luteo flore. folijs Sisymbrij Cardamine, Lugduni se vidisse in horto Franci scanorum, qui id Anitones nominet, alibi nusquam de eo vt inquiras oro, & semina mittas. Ac si que etiam alia haberè poteris non vulgaria, mei vt memorias, ac historiam stirpium per occasionem tibi commendataam habere pergas, obsecro. An D. Rondelletij de Piscibus liber secundo sit impressus, quando, & quanti vaneat scribe. Audio & Montani Medicij Itali libellum quendam Lugduni impressum esse in octauo, in quo agat de apoplexia & alijs 4. morbis capitis, quem rogo vt summa diligentia perquisiras, & mittas per cognatum meum, qui satisfaciет, aut D. Gryphio des ad me mittendum: nam ipsi inquirere forte non vacat, & antehac etiam ab ipso frustra petij: mittet autem is ad me alias quoque libros. Ambrosius Parè Chirurgus Parisis ante biennum edidit librum Gallicum de Vulneribus & fracturis capitis, de quo velim te inquirere, an ab eo tempore Latinè etiam excusus sit: & si inueniatur, Gryphium monere vt mittat cum ceteris. Hec ex Calceolarij epistola tibi excidi.

M. Io-

M. Ionane Bauhino Iunior, come si troua in Lugdunio, vi prego caramente farmi a sua Etia recommandato alai asai, alquali per la sua gentilissima natura son fato schiauo e seruitore, facendoli intender come mandai il suo Catalogo de Simplici, qui mi mando al Magnifico Cortusio.

T. T. CONR. GESNERVS.

Optimo & doctissimo viro IOHAN. BAYHINO Medicinæ Doctori excellenter  
tilissimo: LVGDVNIS,  
S.

**M**IT TO tibi, mi Bauhine, Epistolas binas ex Italia, his diebus ad me perlatas: plura autē scribā per Sangallees Mercatores proximiè. Omnia hic Dei gratia bene habent. Castalio Basileæ obijt. Pestis illie, vt audio, incipit. Bernhardinum in Poloniam abire puto. Saluta amicos. Vale. Tiguri 6. Ianuarij, 1564.

T. CONR. GESNERVS.

Eximia virtute viro D. JOHANNI BAYHINO Medicinæ Doctori excellentissimo,  
S.

**B**EILY illud in Germania exortium contra Episcopum Vuitz-burgensem puto maximè, mox compositum est, & nobilibus belli authoribus,

I 3

secum de hoc malo, iejunus præsentim, facile in id incidunt. Semen illud à te missum tibi incognitum, videtur mihi esse species illa Lycij, quam Matthiolus (puto) pingit folijs modice serratis. Spinam certainam minorem ego dixerim, circa Curiam reperi. Occhinum propterea quodlibet librum ediderit Basileæ, interprete Caſtalione, non oſtenſum prius Tiguri, in quo aiunt paradoxa quadam contineri, Senatus noſter nuper diſcedere iſſit: diſceſit autem Basileam, ubi an receptus fit, nescio. Reſalutant te D.D. Cellerius, Vuolſſius & Muralteus. De Petro Buttino ut inquireres ad te ſcripsi, ſed nihil respondiſti. M.Petrus Figulus petit ſemen Momordicae, ſive Balsamine. Vale. Tiguri 15 63. Decembris die 12.

T. CONR. GESNERVS.

Clarissimo viro D. IOHANNI BAVHINO  
Doctori Medico & Chirugo præstans-  
tissimo, amico primario ſuo:

LVGDVN,  
S.

N V P E R admodum ad te ſcripsi, ſuauifime  
mi D. Baubine. Nanç etiſi in luctu propter  
charifima matris meæ mortem intra triduum de-  
functæ, conſtitutus, ſcribo tamen ad te breuiſi-  
mè. Proximis literis ante dies paucos commenda-  
ui tibi Germanos aliquos Belgas iuuenes, quos ſpe-  
rote accepiffe. Moriuntur apud nos pleuritide qua-  
dam

dam maligna, & vt videtur, contagioſa nonnihil, in qua phlegmone quidem eſt, ſed nihil expuunt, vt ſiccām, aut aſtrictam pleuritide eam vocare li-  
ceat. Ea etiam Froſchouerū ſenior extinctus eſt.  
Qui breuiſimè tertio, alijs ſexto die moriuitur. Quid  
ad remedia, haeremus & dubitamus qd maximè ten-  
tandum fit. In plerisque catharrus a capite ſuper-  
ueniens arteriam implet, ita vt ſtertant quodam-  
modo, & prohibet ſanguinem; & à thorace humo-  
res expectorari. Quid ſi cauterium ſub loco affecto  
fieret? Meminit eius (ni fallor) Alexander Benedi-  
ctus. Martij 21. per D. Scharnequum Curiensem Con-  
ſulem, quo cum Alpes Rhæticas ſuperauiimus, ad te  
ſcripsi. D. Cortuſi ad te literas ſemel an bis ad te mi-  
ferim, non memini. Tu quoties acceperis, ei signifi-  
cato. Fidem bonam in me non patiar deſiderare  
quenquam. Literas ad me tuas & à cognato meo, &  
à Correctore Froſchoueri accepi. Quid autem ad  
diuersas circa ſimplicia opiniones, respondere ad  
ſingula certi aliquid non poſſum: de multis enim i-  
pſe adhuc dubito: et obſervationes mearū authorū  
que loca de ſingulis perquirere, & ad te ſcribere ni-  
mis laboriosum mihi alioquin occupatiſimo foret.  
Chirurgis te interpretari iſtitutiones Tagatij gau-  
deo, quid ſi commentarios etiam aliquos in eas me-  
ditareris? M. Petrus Lithotomus noſter, mittit ad te  
depicta quadam inſtrumenta. Ego certè illum ut can-  
didè & liberaliter tecum agat, hortari ſoleo. Ber-

nardinum Ochinum audio nunc Francordia & suis-  
se, & editurum Apologiam contra nostros. Nuper  
colicam mulierem curandam habui, cui post mul-  
tos clysteres & pharmaca summoperè profuit mo-  
dicum olei vitrioli cum drach. f. theriacæ & sudore.  
In Italia (Venetijs puto) Dictionarium medicum  
prodijisse audiō, nescio quale, aut cuius auctoris. Opo-  
rinus imprexit Medicæ consultationis apud agrotos  
secundum artem & experientiam salubriter insti-  
tuende Enchiridion, auctore Matthia Cornace Re-  
gis Rom. Physico. D. Ant. Gryphiū saluta peraman-  
ter, & ut pro libris misū pretium à Sangallensi ali-  
quo, præsertim Linero, meo nomine petat, iube: cui  
ego hic reddam: si minus mihi significet, & mittā.  
Auerrois opera an excusa sint Lugduni, & quanti  
vaneant, indica. Constantini, Scaligeri, alij aliorum  
libri noui, qui & quando sint edendi, scribe. D. Ron-  
deletij in Dioscoridem Annotationes tue iam mihi  
describūtur. De Lycio & Spina Burgundica, Phily-  
ra & Philyrina cōsidera queso. Vale. Tiguri 1564.  
Aprilis die 5.

T. CONR. GESNERVS.

Clariss. viro D. Ioh. BAVHINO, Medico  
Germano excell. LVGDVNIS,  
S.

**C**VM Tabellarius ad nos occurrisset, arrepto ca-  
lido scribere aliquid volui. Postremæ literæ  
tue

tua Decemb. 13. à te date sunt. Expectabā vt à Mer-  
catore Sangallense aliquo acciperē à te aliquid: sed  
an illi adhuc appulerint, nescio. Ego his proximis die-  
bus ad te scripsi, & literas Basileæ ad parentē misi,  
cum seminibus que cung. habebam rariora. Opinio-  
nes tuas de plantis quibusdam libenter quide lego,  
sicuti & Vallerandi nostri: sed respondere ex tem-  
pore difficultè mihi est, tum alias, tum quia plurimas  
obseruationes meas in schedis innumeris digesti, quas  
nunc perquirere & inspicere singulas non possum.  
Antequam verò pronunciem quicq., & librū edam,  
Deo dante, sententias vestras omnes accuratè consi-  
derabo; in multis certè nihil, q. temere aliquid affir-  
mare malo, quamobrē sententiam meam cohibeo.  
E libris Scaligeri, Dalechampij, Constantini, quādo  
edenda sint, aliqua per occasionem mihi inquire. Li-  
teras meas & his diebus scriptas ad te, & alias Febr.  
20. an acceperis significa. D. Dalechampio scribam  
alias. Ex illis, qua Vallerando nunc mīto, metalli-  
cis, si quid forte desideras (puto autem te iam prius  
omniū specimina habere) pete. Vale. Tiguri 1564.  
Febr. die 15

T. CONR. GESNERVS.

Ornatiss. viro D. Ioh. BAVHINO Medico  
Germ. præstantiss. LVGDVNIS,  
S.

**H**ER 1 ad te scripsi breuissimè, & misi binas ex  
Italia ad te literas: alteras à D. Cortusio puto,

*alia quadam in mei gratiam experimenta faciet. Velim autem te quoque huiusmodi aliqua tentare per occasionem, & D. Vallerandum quoque, atque de ijs interdum mihi significare. Aetate substantiam interiorem quae cretae similis est, venenis aduersari puto, & audiui. Cupio autem nos experiri, ego vnicum habeo quem non libenter fregerim. Alias plura. Vale Tiguri ii. Febr. 1564.*

T. CONR. GESNERVS.

Præstanti doctrina & virtutē viro D. IOHANNI BAVHINO F. Doctori Medico Germano, amico syncerissimo suo: LVG-

DVN,

S.

ITERVM ad nosredit D. Tscharnerius Consul Curiensis vna cum Clarissimo viro D. Guicciardo Medico, qui Rector aliquando Papiæ fuit, & Tellij in valle Telina liberalissimè nos excepit. Eos tibi commendo quoad possum, si qua in re eis gratificari potes ut facias. Nihil habebam quod ad te mittendum per ipsos: nam & festinabant, & ego meo more occupatisimus eram. Basilea & pestis adhuc grassetur: nos Dei gratia salubri hic aere fruimur. Non deletij in Dioscoridem commentarios iam describens curaui, & cū se occasio offeret ad teremittam. Vale & saluta D. Dalechampium, Gryphium.

K

Salutat te Pet. Figulus, & quæ à te perit expectat.  
D. Gryphium cupio indicare quid ei debeam proxi-  
mè plura. Ad literas tuas Martij 10. datas bre-  
vissimè respundo. Carolus Reckelsingerus literis  
acceptis de morte parentis discessit. Bonis sylue-  
stris illius figuram, quam tu mihi fieri curasti, plu-  
rimum tibi debeo. est autem satis magna in pan-  
no facta, quare non commodè ad te mittere pos-  
sum. Breui fortè iconibus recudendis addetur.  
Pro diligentí obseruatione tua, & descriptione  
Bulbi sylvestris Fuchsij, quem ad Ornithogalon  
refers, magnas tibi gratias ago: nec est quod tua  
sententia (cui faneo) opponam. Semina eorum  
etiam conferes cum vacabit. A Domino Cortusio  
si quid rari acceperis, nomina saltē indica, ego  
iam multis mensibus (aut ultra annum) nihil ab  
eo. In alteris deinde (Martij vigesimo quarto, da-  
tis, quas simul cum superioribus misisti) permit-  
tit mihi ut descriptionibus tuis, & plantis fruar,  
quamdiu opus fuerit, qua de re plurimum mihi  
gratulor. Optimè & diligentissimè omnia ser-  
uo, & nunc hac scribens inspicere volui, nec ul-  
lum deprehendi vitium. Cuperem te aliquam her-  
bam peculiarem tibi diligere, que nullo hactenus  
nomine, antiquo præsertim, medicis innotuisset,  
& cuius tu vires alias experiundo confirmasses,  
ut eam à tuo nomine denominarem, cogitabis per  
orium. Iam Cortusius Monthaurus, Calceola-  
rius,

Vix, &c. sibi nō possumus miserunt. Semina M. Pe-  
tro figulo dedi. De cedro respondebis per otium, si  
poteris. Venio ad ultimas tuas May die 9. scriptas.  
Ad schedas meas quas describere voluisti, quando-  
cunque, per orium rescire ex eis aliquid, & responde-  
re poteris, gaudebo. Plearitis illa pestilens, Dei gra-  
tia, verno solum tempore duravit, si quos libros no-  
nos videris, vel audieris, scribe. Adolescentis ille Mas-  
siliensis Pharmacopœus qui Basilea fuit, nuper cum  
alio Iuene Gallo Venetias profectus est, per quem  
D. Cortusio scripsi & Vallerando, &c. An di-  
ctionarium medicum aliquod, & de instrumentis  
Chirurgicis libri prodierint, & ubi, significa. Prò  
Caryophillorū ramulo, & Calchanto Cyprio cum  
Misij gratias ago. Iterum vale. Tiguri 1564. vi-  
timo Junij.

T. CONR. GESNERVS.

Clarissimo viro D. Doctori IOANNI BAV-  
HINO F. Medico præstantissimo,  
amico sincerissimo suo:

LUGDVNI,

S.

**H**I s diebus per Consalem Curiensem ad te  
scripsi; nūc hosce Iuuenies eruditos Belgas ti-  
bi cōmodo. Heri deglutini pulueris de herba Gra-  
tiola 3. i. cū robaciorū sambuci, unde copiosè sum-  
purgatus supra infrāq; mirè phlegma & aquas de-